

definire frustra laboremus. Illud tamen constat, quatuor Libros Regum, Job, Maiores & Minores Prophetas, Psalmos, & Libros Salomonis prevertisse annum J. C. 342. Libri Esdræ, & Genesis, temporis spatio inter annum 392. & 394. Latine redditi sunt; nec ante annum 404. vel 405. absolvi potuit reliquum Pentateuchi, nempe liber Exodi, Levitici, Numerorum, & Deuteronomii (y). Circa eadem tempora, nempe post annum 404. vertit Libros Josue, Judicum, & Ruth. Versionem Paralipomenon non absolvit nisi anno 396. Hæc omnia insinuant Epistolæ, & Præfationes S. Doctoris, ut proinde epocha nostræ Vulgatæ constitui possit sub exitum quarti, & quinti sæculi initium.

Tanto Operi suscipiendo contulit vir Sanctus ingens in linguis Græcâ Hebræicâ & Chaldæâ studium (z); paraverat insuper instructissimam in Bethlehem Bibliothecam, atque non infamam posuerat curam, ut Sacros Textus omnes, & omnes pariter antiquas Versiones colligeret. Profectum dum ejus Latina Editio cum vetustissimis Versionibus Aquilæ, Symmachi & Theodotionis comparatur, intelligimus statim, quantum eorum labore, & maxime Symmachi, quem ducem sepius sequitur, Viri sanctus profecit. Laboranti erant ad manus Hexapla Origenis, uno oculorum conspectu exhibentia cum Hebraico Textu quatuor illas Versiones, Septuaginta, Aquilæ, Symmachi, & Theodotionis; quæ omnia loco esse poterant nostrorum Polyglottorum, Dictionariorum, & Interpretum. His adjumentis non difficili negotio viro eruditissimo & linguarum scientiâ exulto, qui doctissimos Judæos consulabat (a), nec desitutus erat optimis Christianorum Scripturæ Interpretibus, non difficili, inquam, negotio opus successit eâ felicitate, qua aliud nunquam. Itaque affirmandum jure suscipimus, hanc S. Hieronymi de Græco & Hebræo Versionem Opus esse in suo quidem genere absolutissimum; & oblatrantibus licet in illam ejus adversariis, summum tamen habeat in mentibus præjudicio vacuis, & rerum cognitione præstantibus, locum. Agente adhuc in vivis S. Doctore, Versionum illius ex Hebræo portionem Græcis literis tradidit Sophronius (b); & viri alii non infrequentes, inter quos S. Augustinus, insisterunt vehementer, rogaruntque, ut adornatas ad Textum Septuaginta interpretationes alias daret: Ut tantâ Latinorum Interpretum, qui qualescunque ausi sunt, quantum possumus, imperitiâ careamus (c). Ejus Psalterium ad Hexapla correctum, summo favore exceperunt Romani (d); & S. Augustinus insuis ad Job animadversionibus non veteres Græcos Interpretes, sed Latinam ad Græcum S. Hieronymi Versionem secutus est.

Majori etiam studio excepta est in Ecclesiis Latinis ejus ex Hebræo Versio. Vitiis S. Doctori vertit Rufinus, quod Opus illud suum mitteret ad Urbes, pagos, Ecclesias, & Monasteria (e); satis id argu-

menti ad insinuandum summum omnium in Versionem illam studium, & quantum è veteri illâ æstimatione pro autoritate Interpretationis Septuaginta decessisset, cum multum inter illam & Hebraicam veritatem discrepare, palam omnibus factum est.

Testatur S. Augustinus (f), Africa quosdam Episcopos jam inde ante an. 403. insinuasse, ut in Ecclesiis suis Versio Latina S. Hieronymi legeretur. Lucinius Hispanus, vir in scripturas Sacras religiosissimus (g) sex Notarios suos Bethleem anno 394. misit, quod traditas compendiaris notis ejus Versiones & cætera opera excipientes, ad se referrent. Hæc Hieronymus Presbyter Jerosolymitanus ejusdem ætatis circiter, Græcè licet scriberet (h), Versionem tamen S. Hieronymi ex Hebræo laudat; & S. Augustinus, quanquam huic S. Doctoris Operi olim iniquior, adeo deinde probavit, ut Speculum suum, Opus confertis pluribus moralibus Scripturæ sententiis congestum, quò Fidelibus è vulgo lectioni totius Scripturæ imparibus serviret, non ad aliam, quam ad Hieronymi Interpretationem adornaret.

Philippus Presbyter, S. Hieronymo cœvus, in suo Commentario in Job Versionem præfert S. Doctoris. S. Gregorius Magnus (i) testatur, utramque Versionem, veterem nempe è Septuaginta, & S. Hieronymi ex Hebræo, familiare fuisse in Ecclesia Romana; ipse verò, quanquam in Commentario in Job Versionem Hieronymianam sequitur, interdum tamen & de Versione Septuaginta repetit testimonia: Nunc novam, nunc veterem per testimonia assumo, ut quia Sedes Apostolica utraq; utitur, mei quoque labor studii ex utraq; fulciatur. Satis tamen luculenter exprimit, primum se locum dare Versioni S. Hieronymi, cum omnium fidelissimam affirmet (k); & alibi pariter asserat (l), oportere fidem illi addicere, ut pote quæ congruat Originali.

Ita veluti per gradus aucta Hieronymianæ ex Hebræo Versionis autoritas, solatandem obtinuit in Ecclesia, quemadmodum paulò recentior S. Gregorio S. Isidorus Hispanensis (m) insinuat: Cujus Editione (Hieronymi) omnes Ecclesia usquequaque utuntur. Porro S. Isidorus florebat circa annum 630. annis circiter 15. ab obitu Sancti Gregorii; non satis tamen ille suæ ætate decessisse prorsus veterem Vulgatam luculenter affirmat, cum fieri utique possit, ut omnium Ecclesiarum nomine non nisi Hispanas, quibus scribebat, designaret. Sed illud constat, paulò post S. Isidorum in Ecclesiis Latinis solam S. Hieronymi ex Hebræo Versionem invaluisse, excepto Psalterio, quod juxta Editionem Septuaginta cantabatur.

Asserit Hugo Victorinus (n) Ecclesiæ Latinæ decreto constitutum, ut sola tandem teneretur Versio S. Hieronymi ex Hebræo; sed nec locus ejus decreti, incogniti alioqui, nec tempus determinat; unde non levis conjectura, consuetudine potius

y Hæc Opera non absolvit nisi post obitum S. Paulæ, quæ diem clausit anno 404. Vide ejus præfationem in Josue.

z Vide Hieron. Præfat. in Dan. Epistol. 2. ad Rufin. & Epistol. 65. Augustin. 1. 18. de Civit. c. 43. & 1. 2. adversus Julian.

a Vide Hieron. Epistol. 65. Item Præfat. in Job & Daniel. & Paralip. & Isai. 22.

b Hieron. de Scriptor. Eccles. Sophronius vir apertè eruditus, Opuscula mea in Græcum eleganti sermone transfudit; Psalterium quoque & Prophetas, quos nos de Hebræo in Latinum vertimus.

c August. Epistol. 82.

d Hieron. Apolog. contra Rufin. 1. 2.

e Rufin. 1. 2. Invecl. in Hieron.

f Epistol. 71.

g Hieron. ad Lucin. Batic.

h Commentar. 1. in Levit. c. 4. 30.

i Præfat. in lib. Moral. in Job. k Greg. Mag. 1. 1. hom. 10. n. 6. in Ezech. l Idem. 1. 20. cap. 30. Moral. in Job c. 32. num. 62. m De Offic. Eccles. 1. 1. n. De Scriptur. Sacr. c. 9. Quia Hebræica veritati concordare magis probata est, idcirco Ecclesia Christi per universionem Latinitatem præcæteris omnibus translationibus, quas vitiosa interpretatio, sive prima de Latino in Græcum, sive secunda de Græco in Latinum facta, corrumpe-

& tacito Ecclesiarum consensu, quàm peculiari lege inducendum fuisse, ut ea præcæteris Versio obtineret.

Adeo verò ejusdem Versionis autoritas invaluit, ut cæteras prorsus aboleret; quare cum Stephanus Abbas Cisterciensis II. reformanda volumina Bibliorum suorum suscepit, id sibi censuit præstandum, ut ad Textum Hieronymianum recenseret. Accitis ergo Judæis injunxit, ut sedulo notarent, quidquid esset in Hebræo, quò simul expungeretur è Textu Bibliorum Latinorum S. Hieronymi, quidquid præposterè adjectum fuisset. Hoc enim, dicebat, plena docet ratio, ut quod ab uno Interprete, videlicet Beato Hieronymo, quem cæteris Interpretibus omnibus, nostrates jamjamque susceperant, de uno Hebræica veritatis fonte translatum est, unum debere sonare (o). Sed in ea S. Hieronymi Versione ita plane constituendum non est, quasi scilicet nova sint omnia, nihilque è veteri supersit. Quantum enim pro viribus valuit phrasæ omnes, quas Hebræo conformes nactus est, censuit servandas (p), metu ne populi veteri lectioni assueti, scandalo afficerentur, neve in se crearet invidiam, quasi scilicet veteri Scripturarum loquendi ratione immutata, manus injicere in Religionem & Fidem videretur.

Factum est etiam non raro, ut longa illa in veteri lectione vetustisque ex Italica Versione sententiis habitudo subductas illas à S. Hieronymo, ipso tamen invito, in Textum revocaret. Sexcenta ejus rei suppetunt exempla, maxime in Libris Regum, & Proverbiis, quæ diligentissimè annotare visum est in recenti Operum S. Hieronymi editione. Plura etiam suppetunt in Psalmis; in aliis verò Libris rariora.

Suspicati sunt etiam Viri Doctissimi, S. Hieronymum, promissionibus licet sese obstringentem Versionem V. T. ex Hebræo adornandi, recessisse tamen non raro ab Originali. Hisce tamen reponimus, 1. Textum Hebræum, qualem olim legebat S. Hieronymus, discrepasse fortè non nihil à nostro, ut ipsa contigisse constat aliquando. 2. Cum Hebræicæ linguæ indoles ea sit, ut plurimum vocum sensum habeat æquivocum, & indeterminatum, eum, qui sibi optimus videretur, selegit S. Doctor; quamquam alioqui alius sit ille à sensu Rabbini præcæteris omnibus translationibus, quas vitiosa interpretatio, sive prima de Latino in Græcum, sive secunda de Græco in Latinum facta, corrumpe-

rat; hanc solam legendam & in autoritate habendam constituit. Et si enim Vulgatam Versionem authenticam declaravit Concilium Tridentinum, nunquam tamen ab omni immunem labe

pronunciavit. Hæc Tridentini Sess. 4. c. 2. definitio: Sacrosancta Synodus considerans non parum utilitatis accedere posse Ecclesiæ Dei, si ex omnibus Latinis Editionibus Sacrorum Librorum, quæ jam pro authentica habenda sit, immolescat, statuit, & declarat, ut hæc ipsa vetus & vulgata editio, quæ longo tot sæculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus, & expositionibus, pro authentica habeatur; & ut nemo illam rejicere quovis prætextu audeat, vel presumat. Nemo igitur illam rejicere permittitur; sed alias aliquando, cum neque de Fide, neque de rebus maximi ad Religionem momenti agitur, illi præponere, nemini pariter arbitror interdictum. Ad Originale recurrere, ejusque fidem sequi si quis valeat, per Concilium licet. Uno verbo, juxta Pallavicinium, nihil aliud voverunt Patres eâ definitione, quàm nihil in Vulgata fidei repugnans contineri.

Quemadmodum autem insita est quadam & velut intima in Libris Sacris autoritas, quò scilicet Spiritu Sancto dictante scripti sint; ita pariter suam ex illis reputat autoritatem Versiones, quando Originalibus coherent. Alia insuper accedere illis potest autoritas, veluti extrinseca, ex ipsa Ecclesiæ adoptantis probantisque autoritate. Apud Patres Concilii nihil de Textibus Originalibus: illam solummodò inter Latinas Versiones seligendam censuerunt, quam optimam & tutissimam judicarent, utpote quæ nihil contra fidem & bonos mores tot sæculorum experientia se continere probasset. Frustra Ecclesiæ adversarii (q) Patres illos accusant, quasi scilicet Versionem originali prætulerint. Non nisi summâ impudentiâ hæc de viris illis doctissimis asseruntur, qui nihil tale in sua definitione prætulerunt. Non hoc agebatur in Concilio, ait Salmero (r), qui præfatus adfuit, ut de Originalibus quærerent; sermo fuit tantum de optimâ inter plures Versiones Latinas seligendâ, idque sanè privilegium concedere visum est Vulgatæ, quam probatam agnoscebat Ecclesiæ; eaque omnium optima ac tutissima constituta est, nihilque adversus fidem & mores præferens; dignissima proinde, ut fidem illi nostram integram asseramus (s).

Convenit inter omnes, Amanuensium & Typographorum incuriâ pariter & auctoriâ factum esse, ut plura in Textum Vulgatæ menda gliscerent; addita etiam plura & detruncata, quæ statim legentibus apparent, cum veteres Editiones inter se comparantur. E' re igitur censuerunt Patres Tridentini Sess. 4. ut edicerent: Vetus & vulgata editio quam emendatissimè imprimatur. His semel in Concilio constitutis, Pontifices Sixtus V. & Clemens VIII. imprimi Romæ mandarunt Vulgatam, examini prius & correctioni doctissimorum Theologorum commissam, qui exemplum fecerunt Sanctorum Patrum Hebræicum, Versionem Græcam, & vetera Mss. in his scilicet locis, in quibus five Exemplaria variarent, five Latinus sensus ambiguus esset

q Vide Sixtin. Amama Censur. Vulgat. Edit. Calvin. alios. r Proleg. 3.

s Bellar. de Verbo Dei 1. 2. c. 11.

set & multiplex. Hæc proficitur in Bullâ suâ Sixtus V. præfixâ Editioni Latinâ, adornatâ anno 1589. & ann. 1590. vulgatâ. In his tandem, qua neque Codicum, neque Doctorum magnâ consensione satis munita videntur, ad Hebræorum Græcorumque Exemplaria duximus confugiendam &c.

Nec ita reputandum est, quasi menda omnia, quæcumque valuisse Romani illi Editores subdaxerint; movent enim in Præfatione Editioni vulgatæ præfixâ, loca se plurima, quàmquam aliqui correctione indigerent, intacta reliquisse, ne quo scandalo populus afficeretur, longâ jam habitudine Veteri illi lectioni assuetus, persuasus etiam aliqui fieri potuisse, ut Veteres, quibus lectio illa probaretur, melioribus & correctioribus uterentur Exemplaribus, quàm quæ ad nos non nisi corrupta transmissa sunt. Cardinalis Bellarminus, unus de correctoribus Vulgatæ hujus Editionis, literis ad Lucam Brugensem datis, (t) gratias viro agit de recepto ex illo Libello correctionum Bibliorum Latinorum ab eò adnotato; tum addit: Scias velim, Bibliâ Vulgatâ non esse à nobis accuratissimè castigatâ: multa enim de industria justis de causis pertransmissimus. Consonat Joannes Badius Vaticanæ Typographiæ curator: Favor in Bibliis nonnulla superesse, quæ in melius mutari potuissent (u).

t Bellarm. liter. Capua dat. 6. Decemb. 1603.

u Joan. Bâdin. Epist. data prid. Kalend. Augus. 1604. ad Moretum, apud Francisc. Luc. Brug. Præfat. in Annot. N. T.

Meliorē sibi præstituentē methodum Clementis VIII. meliori successu dedit Biblia Latina, quæ typis Vaticanis commissa paruerunt anno 1592. ex quo factum, ut neglectis Bibliis Sixtinis, nunquam recūsus, Opus illud Clementis VIII. quod iterum prodit anno 1593, levioribus nonnullis immutatis, tanquam norma & exemplar haberetur Textus Vulgatæ, tot iterum in locis sæpiusque recūsâ, & omnium nunc in manibus versantis. Hæc Editio juxta Bullam Clementis VIII. ipsissima tenenda est Vulgatâ, quam authenticam Concilium Tridentinum ante plures annos habitum (x) declaravit.

x Concilii decretum est ann. 1546. ex quo usque ad ann. 1590. intervallum est 44. annorum.

Sed nec ipsa postrema Editio à mendis prorsus eximitur; illi enim qui Præfationem ante Communionem Editionem instruxerunt, ultrò fatentur, nihil omisissum, ut correctissimam pro viribus Opus daretur; nunquam tamen in se suscipere ut nihil ejus perfectioni deesset; sanctè tamen assistarent; nihil ad id usque purius & correctius proditisse. Thomas James, vir inter Protestantes Anglos, Librum dedit inscriptum, Bellum Papale, in quo variantia omnia congerit inter Biblia Sixtinâ & Clementis VIII. eo scilicet consilio, ut duos illos Pon-

tifices velut inter se committeret; nec ipse minus, quàm 2000. circiter variantia loca congestit.

P. Henricus Bukentop (y) Recollectus ipse pariter hanc Spartam, quamquam alio planè consilio, adornans, plura etiam adjecit à James omisissâ; quorum tamen lectione facile intelligimus, nihil in illis occurrere five Fidei, five bonis moribus repugnans, sed omnia ad incuriam quamdam majorem minoremve refundi.

y Lux de Luca l. 3. c. 1.

Franciscus Lucas Brugensis (z) ultra 4000. loca indicavit, quæ correctionem desiderarent in Bibliis vulgaribus Clementis VIII. Ejus sedulitatem non laudavit tantum Bellarminus, sed & persuasum habuisse omnes, datis ad ipsum literis, scripsit, plura superesse in Vulgatâ menda. Gemina legas apud doctissimos Criticos & Theologos nostræ ætatis absolutissimos.

z Præfat. in Annot. in N. T.

Hæc licet vera fateamur, æquè tamen fateri necesse est, Vulgatam Ecclesiæ Romanæ & Catholice probatam, Versionum omnium utriusque Testamenti castigatissimam esse, quod doctissimorum etiam Protestantium confessione tenemus. Quis quantumque vir in linguarum Orientalium peritâ fuerit Ludovicus de Dieu, neminem arbitrò ignorare. Porro vir ille, idoneus, si quis alius, ejus rei testis, confersens Vulgatam cum Versionibus Latinis N. T. per Bezam & Erasum (a), nihil se præposterè judicaturum testatur, si Authorem Vulgatæ, quicumque tandem fuerit, doctissimum & sapientissimum pronunciet; scire se errasse illum quandoque, barbaris horere interdum; sed admirari pariter & bonam ejus fidem, nunquam non se prodentem, & judicium etiam, cum maxime barbariem refert. Ipse pariter Ludovicus in suis Animadversionibus ad utrumque Testamentum lectionem Vulgatæ præfert, & contra ejus obtrudatores tuetur. Quid fuerit in causa, cur Vulgatam selegerit, exponens Grotius Præfat. in annot. in V. T. ait. Vulgatum Interpretem semper plurimi feci, non modo quòd nulla dogmata insalubria continet, sed etiam quòd multum habet in se eruditionis. Vulgatam hanc, quamvis in locis etiam ab aliis intactis reprehendat Beza, rejiciendam tamen prorsus improbandamque non censet. [b]; & Paulus Fagius tanquam semidosos impudentesque traducit, quicumque celeberrimam hanc Versionem dilacerent (c).

a In nobis ad Evangel.

Consilium Tridentinorum Patrum, auctoritatem Vulgatæ decreto suo asserentem, laudat Drusus (d), quòd scilicet recentiores Versiones præfæcam illam non superent, & facile etiam superentur. Tandem D. Millius de Veteri Italica & nova S. Hieronymi Versione agens, hæc planè animadvertenda promit. Summo nos obsequio veneramus veterem Italicam, utpote expressam è primigeniis illis Originalibus, quorum vel minima fragmenta auro contra pensamus. Cavemus autem nos, ne quid adversus Editionem Vulgatam S. Hieronymi mutamus, quamquam aliqui correctio in illa nostrâ quidem ætate desider-

b Præfat. in N. T.

c Præfat. ad collat. translat. V. T. d Ad loca difficill. Pontæ tenc.

retur. Optandum utique fuisset, Sanctum hunc Doctorem curam potius suam impendisse, restituendæ ad primigeniam integritatem veteri Italice, ope Manuscriptorum suâ adhuc ætate manentium; cum tamen illi visum fuerit ad Græca Originalia recensere, præclarum accidit nobis, ut servandum sibi pro viribus censuerit Veteri Textui, quò Originalibus illam redderet maxime conformem. Hoc nostrum est de Vulgatâ judicium; tantumque abest ut censueamus reformari illam oportere ad Græcum aliquod impressum Exemplar, quin potius è re futurum arbitramur, si castiganda ad vetera Mss. suscipiatur, quò scilicet reddatur conformior Versioni illi qualis è manibus S. Hieronymi primum exiit (e).

e Mill. Proleg. in N. T. G. pag. 142.

f Canus l. 2. c. 13. & 15. de locis Theologicis, Vallet. l. 8. c. 5. Anab. l. 3. part. D. Thom. 9. 7.

g Hieron. Epist. ad Sunnam & Frentellam. Sicut in novo Testamento si quando apud Latinos quasi exoritur, recurrimus ad fontem Græci sermonis, quo novum Instrumentum scriptum est; ita in Veteri Testamento, si quando inter Græcos Latinosque diverfitas est, ad Hebraicam recurrimus veritatem. h De Doctrin. Christ. c. 11. Latina Lingua homines Hebræa & Græca linguæ opus habent, ut ad Exemplaria præcedentia recurrant, si quam dubitationem intulerit Latinorum Interpretum varietas.

h Præfat. in N. T.

i Præfat. in N. T.

sendum suscipiat Hebraicum Textum, quomodo factum constat in Vulgatâ, consultis scilicet Mss. vetustis Interpretibus, atque adhibitis sanioris criticæ regulis, plura sanè tollerentur, & castigatio fortè efficeretur Textus, quàm Vulgatâ. Statuendum est enim ratumque tenendum, nullam unquam Textum præ Hebræo majori fide & integritate servatum fuisse. Non idem facile privilegium Græco mansit; sed à mendis crassioribus, & fidei ac morum puritati officientibus, immune utique censendum est.

2. Quid senserit Concilium Tridentinum, è testimonio illorum, qui præfentes adfuerunt, judicium repetendum est. Adfuerunt autem Salmero (i), & Vega [k]; quorum testimonio intelligimus, nullam in Concilio factam Vulgatam inter & Originalia collationem: res erat tantum de Latinis Versionibus tunc obtinentibus cum Vulgatâ conferendis: visum est autem Patribus, cæteras omnes posthabere Vulgatæ, utpotè præ aliis defæcatisissimè, magisque ad fidem Originalium, nihilque præferentis Fidei ac moribus absonum. Ejus rei testem laudat Vega Cardinalem S. Crucis, Pauli III. ad Concilium Legatum, qui deinde sub Marcelli II. nomine Pontificiam & ipse cathedram tenuit; vivebat autem ille, quo tempore Vegam scriptis ista mandantem falsitatis arguere, si quid veritati contrarium assereret, utique potuisset. Tandem Bellarminus (l) mendaciam reum agit Calvinum, accusantem Tridentinos Patres, quasi scilicet præferent purioris laticis fontes haurire volentibus (m), errorem veritate ipsâ refutatis. Nihil tale factum à Concilio asserit Bellarminus; nihil enim apud Patres illos de Originalibus, sed de Versionibus tantum Latinis tunc obtinentibus, quibus omnibus singularem Versionem præferentes, authenticam illam & canonicam declarant.

i Proleg. 3. k Andr. Vega, l. 15. c. 9.

l De Verbo Dei l. 2. c. 10. 11.

m Calvin. in Antidot. sess. 4.

3. Declaraverint licet Concilii Patres, ubi ipso S. Spiritus ductu Vulgatam veluti authenticam, edicentes insuper, ne quis illam in publicis disputationibus rejicere audeat; an proinde continuo five præferendam censuerunt Originalibus, five mendâ, quibus fortè adhuc scætet, definitione hac suâ pariter consecranda censuerunt? Concilii assente S. Spiritu definitio infallibilis est utique & inconcussa; sed Vulgatam simul omnem respicit, non verba ejus singula & periodos. Salvâ Concilii & Vulgatæ auctoritate, integrum est cuique ad Originalia illam recensere, & five mendosam corrigere, five Originalibus illis coherentem defendere, vel tandem Originalia ipsâ ad Vulgatam reformare, cum defæcator illa & correctior apparet; quod non rarò contingere norunt omnes, qui accuratorem sedulitatem & scientiam ad studium Scripturæ Sanctæ contulerunt.